

catio iusti assidua. Eiusd. s. quanto magis totius populi, vbi præsumitur multos fore iustos. Hinc Mat. 18. dominus dicit, Si duo ex vobis consenserint super terram de omni re, quam petierint, fiet illis à patre meo. Causam subiungit Vbi duo, vel tres congregati fuerint in nomine meo, in medio eorum sum. Si ergo tantum placet domino paucorum consors oratio, quanto magis multorù concordia charitate effusa. Hæc nouit apottolus, qui 1. Cor. 1. ait: Quoniam & adhuc eripiet nos de tribulatione, adiuantibus & vobis in oratione pro nobis vt ex multarum personis facturū eius, quæ in nobis est donationis, gratiæ agatur Deo pro nobis. Ecce ex multitudine mulierum, & virorum orantium, confidentiam hausit ceptionis, vt sic exaudita multitudine, tota multitudo obligetur Deo ad gratiarum actiones repetendas. Secundo, quia processio actus est excellentis fidei, & profundæ humilitatis.

Fides autem necessaria est oranti, dicente Iaco. 1. Postulet autem in fide nihil hæsitans. Et Mat. 21. Omnia quæcumque petieritis in nomine meo, credentes accipietis. Similiter humilitas orationem facit exaudibilem. Vnde in psal. Respexit in orationem humilium & c. & 1. Petri. 1. Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Est autem processio signum, & protestatio exaltationis Dei, & humiliationis populi. Nam populus Deo processionem faciens, præteritum cum precibus, & missis processionalibus, protestatur in hoc Deum fore primum, & vniuersale gubernationis principium, excellentissimum, potentissimum, & sapientissimum ad omnes miseras subleuandum, & cū eâ bona tribuendum. Recognoscit etiã in hoc suam miseriam, & indigentiam, atque subiectionem. Ob has etenim causas legitur Deo factas processiones, & propter consimiles fieri videmus. Hæc intendit filios Israel procedentes obviam Christo venienti in Hierusalem in die palmarum, verba, quæ proleuerunt, declarabant. Clamabant si-

quidem, Benedictus, qui venit in nomine domini rex Israel, fili David osanna in excelsis. Matthei 21. Iosaphat quoque rex Iuda, cum cognouisset maximam multitudinem filiorum Moab, ac Ammonitarum, ac habitatorum montis Seir contra se venire, cui resistere non poterat, processionem instituit ad rogandum dominum, & ieiunium indixit. Congregatoque Iuda, & de viribus suis venientibus ad deprecandum dominum, stans in medio eorum Iosaphat, ait, domine Deus patrum nostrorum, tu es Deus in celo, & dominaris cunctis regnis gentium, in manu tua est fortitudo, & potentia, nec quisquam tibi potest resistere. Et sequitur, In nobis quidem non est tanta fortitudo, vt possimus huic multitudini resistere, quæ irruit super nos, sed cū ignoremus, quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, vt oculos nostros dirigamus ad te & c. 2. Par. 20. Ecce patet clarè ex verbis regis, quid per suam conuentionem significabant. Sic quoque cum hominibus processionem facimus, superiores eos agnoscimus, quia inferioribus nõ fiunt, vel honoramus eos, aut eorum iram mitigare studemus, vt cum principem, vel regem suscipimus, aut nos inimicis subiugamus, sicut de Holoferne scribitur Iudith. 3.

Tertiò, quia processiones huiusmodi, dum ita, vt oportet, celebrantur, propter denique, missas, orationes, propter denique cerimonias multiplices, multum sunt exiracitiæ piarum mentium ad deuotionem, qua præparatur animus ad ardentem petendum, ad impetrandum certitudinaliter, ad capiendum abundanter. Et ob hoc tam in veteri, quam in nouo testamento leguntur institutæ. Iohel nanque 2. dicitur, Canite tuba, sanctificate ieiunium, vocate cætum, congregate populum, sanctificate ecclesiam, coadunate senes, congregate paruulos, & sugentes vbera matris. Et sequitur, Dicent, Parce domine, parce populo tuo, & ne des hereditatem tuam in perditionem. Et premititur, Quis scit, si conuertatur, &

Quid p  
cessio sit.